



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Mayr, Anton

MDCCXXXII

Art. I. An sit possibilis visio Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84303)

ris deberent semper convenire; nam infinitis vicibus esset æquè bonum, ac sapiens aliquid facere, quàm omittere, & vicissim. Certè non minùs prudenter fecisset DEUS, si non creasset hunc mundum, quàm cum creaverit, ejusque voluntas æquè fuisset bona, atque laudabilis: sicut etiam æqualiter prudenter, & bene fecit non creando alterum mundum, quàm si eum creasset. Imò sepe regula honestatis in aliqua actione est ipsa voluntas Divina: nec DEUS tenetur semper facere, quod est optimum in se, seu, ut aliqui loquuntur, materialiter, sed quod est optimum in his circumstantiis, inter quas sæpius est ipsa voluntas Divina, & ab hujus beneplacito denominatur res hinc, & nunc optima: ergo sapientia, & bonitas eos non infallibiliter, & necessariò redderet concordēs, sed saltem posset universi gubernatio turbari. Dein, stante libertate plurium, posset saltem sibi invicem contradicere, aut se mutuo impedire, consequenter à se invicem penderent, essentque imperfecti. Tandem, si habent eandem semper voluntatem, non est ratio Deos multiplicandi, sicut cum SS. tres Personæ habeant eundem intellectum, ac voluntatem, sunt unus DEUS. videatur etiam Arriaga de SS. Trinitate disp. 42. n. 43.

168. Dices, posse adstrui aliquam sympathiam inter Deos, ratione cujus semper conveniant. Resp. vel hæc tolleretur libertatem, & redderet Deos imperfectos: vel non tolleretur, & redeunt priora argumenta. Dices: posset dici, quod quilibet gubernaret distinctum mundum. Resp. in primis, hoc Polytheistas non velle. Dein vel essent omnipotentes, & immensi, vel non? Si secundum; non essent Dii. Si primum; tunc quilibet esset ubique: certè posset semper sibi creare novos ac novos mundos, donec contineretur mundum alterius, & dominium etiam ibi exercere tentaret.

Solet etiam hinc agitari quæstio, an inter attributa Divina detur distinctio virtualis, aut formalis ex natura rei: & utraque communiter à nostris negatur, ac purè formalis tantum admittitur. Difficultates obijci solitæ, aut faciliè solvantur ex auditis in Logica de distinctione inter intellectum, & voluntatem: aut tangunt mysterium SS. Trinitatis: quare, usquedum de eo agamus, quæstionem hanc differimus.

DISPUTATIO II.

De Cognoscibilitate DEI.

169. **E** Gimus hucusque de essentia, existentia, ac aliis perfectionibus Divinis: jam agendum de earundem cognoscibilitate respectu creaturarum, sive an, & quatenus possit DEUS, ejusque perfectiones, cognosci à creaturis; nam quod à seipso perfectissimè seu comprehensivè possit cognosci, nemo dubitat, cum utique intellectus Divinus sua vi cognoscendi, & ipsa etiam cognitio Divina infinita adæquare possit cognoscibilitatem sui ipsius, seu Divinarum perfectionum secum identificatarum. Non autem hinc quæritur, an DEUS à creato intellectu cognosci possit abstractivè ut Unus (an ratione purè naturali, vel quomodo per fidem cognoscatur DEUS ut Trinus, decidendum est in disputatione de Mysterio SS. Trinitatis,) quod

enim DEUS possit abstractivè cognosci ut Unus cum suis perfectionibus necessariis absolutis, clarè insertur ex discursibus, quibus probavimus, DEUM existere, & infinitè perfectum esse: quæ utique de ipso asserere non possemus, nisi eum abstractivè saltem cognosceremus.

170. Sed hic quæritur, an possit cognosci DEUS ejusque perfectiones intuitivè, seu per cognitionem intuitivam, quæ etiam Visio vocatur, similitudine desumpta à visione oculi corporis; quia sicut ista immediatè tendit in colorem tanquam suum objectum, ita cognitio illa intuitiva immediatè fertur in DEUM, & illum non in alio tanquam per speculum, & in enigmate, seu similitudine (sicut nunc in hac vita ipsum cognoscimus ex S. Paulo 1. Cor. 13. v. 12.) sed in seipso immediatè cognoscit. Examinanda sunt insuper modus, objectum, & causæ hujus cognitionis, sive an cognitio hæc sit comprehensiva DEI; an omnia prædicata DEI videatur; an & quomodo lumen gloriæ, species impressa, atque etiam intellectus creatus ad eam concurrat: itaque sit

QUÆSTIO Unica.

De Visione DEI, Modo, Objecto
& Causis ejusdem.

ARTICULUS I.

An sit possibilis Visio DEI.

171. **D**ico 1. Defacto datur, adeoque possibilis est visio DEI intuitiva. Conclusio est de fide contra aliquos Armenos, qui asseruerunt, non videri etiam à Beatis, ipsam in se essentiam Divinam, sed tantum lucem quandam, aut claritatem, ab ea derivatam: quem errorem postea etiam Petrus Abailardus, & Almaricus amplexi sunt teste Alphonso à Castro de hæresibus l. 3. v. Beatitudo. hæres. 1. Prob. concl. Matth. 5. v. 8, dicitur: Beati mundo corde, quoniam ipsi DEUM videbunt. Et 18. v. 10. Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei. Item 1. Cor. 13. v. 12. dicuntur homines visuri DEUM facie ad faciem, & 1. Joan. 3. v. 2. visuri DEUM sicuti est. Idem definitum est à Florentino in Decreto seu literis sanctæ unionis non longè à fine, ubi dicitur, animas sine reatu mortuas, vel ab hoc in purgatorio emundatas, in cælum mox recipi, & intueri clarè ipsum DEUM trium & unum.

172. Quibus verbis nota etiam dici, animas labis puras non debere expectare diem judicii, sed mox ad visionem DEI admitti, contra quàm sensit Joannes XXII. tanquam Doctor privatus, non ut Pontifex; nam in articulo mortis expressè asseruit, se nihil voluisse decidere, sensumque suum Ecclesiæ judicio subijcere: de qua re Belarminus l. 4. de Rom. Pont. c. 14. quam veritatem Tridentinum quoque Sess. 25. in Decreto de invocatione Sanctorum supponit, & docet, dum ait, Sanctos, unà cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus DEO offerre, eosdemque æternâ felicitate in cælo fruantes invocandos esse. Eandem veritatem apertissimè definit Benedictus XI. dictus XII. Successor immediatus Joannis XXII. in sua Decretali, quam de verbo ad verbum refert Alphonsus à Castro de hæres. l. 3. v. Beatitudo. hæres. 6. ubi

ubi insuper Pontifex pro nostra conclusione sic loquitur de animabus sine labe mortuis, vel ab ea purgatis: *Mox post mortem suam, & purgationem præfatam in illis, qui purgationem huiusmodi indigebant, etiam ante resurrectionem suorum corporum, & iudicium generale post ascensionem Domini nostri Iesu Christi in cælum, fuerunt, sunt, & erant in cælo, cælorum regno, & paradiso cælesti cum Christo Sanctorum Angelorum consortio aggregata, ac post Christi Iesu passionem, & mortem viderunt, & vident, & videbunt Divinam Essentiam, immediate se bene, & clare, & aperte illis ostendentem.* Accedunt SS. Patres complures citati à Valquez tom. 1. in 1. p. disp. 37. c. 5. Hæ rationes ab autoritate sufficiunt; quia positivis rationibus, à principiis fidei independentibus, probari vix potest; cum, ut postea videbimus, visio beatifica nulli creaturæ debita, aut connaturalis esse possit. Negativè tamen etiam probatur solvendo objectiones.

173. Ob. 1. S. Paulus, 1. ad Timoth. 6. v. 16. de DEO dicit: *Lucem inhabitat inaccessibilem: quem nullus hominum vidit: sed nec videre potest: ergo visio DEI est impossibilis.* Confir. 1. S. Petrus ep. 1. c. 1. v. 12. ait de DEO: *In quem desiderant Angeli prospicere:* ergo eum non vident. Confir. 2. Plures Patres apud Valquezium in 1. p. disp. 37. negant, DEUM posse videri & præsertim S. Chrysostomus homil. 14. in Joan. disertè ait: *DEUM videre est impossibile: quod eum nemo novit, nisi Filius:* ergo, Resp. ad autoritatem Scripturæ cum S. Augustino ep. 112. c. 15. ubi ait de DEO: *Si queris, quomodo dictus sit invisibilis, si videri potest, respondeo, invisibilem esse naturā, videri autem, cum vult, sicut vult.* In forma dist. ant. inhabitat lucem hominibus naturaliter inaccessibilem, & sic etiam eum nemo naturaliter vidit, aut videre potest. conc. ant. supernaturaliter ex speciali favore DEI. neg. ant. & conf. & hoc est, quod Augustinus intendit, dum ait, *videri, cum vult, & sicut vult;* quando scilicet vult quibusdam hunc favorem facere, & in quantum eum vult facere.

174. Nec dicas: ergo DEUM etiam tantum naturaliter fore incomprehensibilem, non autem supernaturaliter; nam Scripturæ sumi debent strictè, quando non adest ratio urgens ad eas minùs strictè sumendas, qualis adest, quando DEUS dicitur invisibilis; nam si deberet intelligi omnimodè invisibilis, Scripturæ sibi contradicerent: nec salvari possent Conciliorum, & Pontificum definitiones: at nulla occurrit circa incomprehensibilitatem: imò hanc ratio ipsa confirmat, ut patebit inferiùs, ubi de comprehensibilitate DEI agemus. Ad. 1. confir. neg. conf. Angeli desiderant DEUM videre etiam in futurum; quia ejus visione nunquam satiantur, de qua re egregiè S. Gregorius 1. 18. moral. c. 28. Ad 2. confir. resp. Si etiam aliqui Patres id negassent, rebus nondum ab Ecclesia ita definitis, non negarent modò, stantibus his definitionibus: nec deberemus eos sequi. Videtur tamen iis honorificentius esse, si dicatur, eos non negasse omnem visionem, sed tantum, vel corpoream, vel naturalibus viribus elicitam, vel comprehensivam, quam tantum negasse videtur S. Chrysostomus etiam Angelis; nam hanc Eunomius, ejusque sequaces, quos impugnat, sibi attribuerunt, & quidem tantam, quan-

R. P. Ant. Mayr. Theol. Tom. I.

tam Pater habet de Filio: ita eum explicat S. Thomas 1. p. q. 12. a. 1. ad 1. & certè S. Chrysostomus homil. 69. ad populum ait: *Iusti sive hic, sive illic cum rege, & illic amplius, & propinquius, non per introitum, non per fidem, sed facie ad faciem.*

175. Quando autem idem ait, Angelos DEUM vidisse in natura assumpta, & non antè: responderi potest, eum tantum velle, quòd ante Incarnationem nihil potuerint comprehendere, quòd DEO est proprium: postea autem comprehendisse naturam humanam, quæ assumpta est, & DEO propria facta. Quando autem idem S. Pater homil. 3. de incomprehensibili DEI naturā dicit, quòd Seraphini, de quibus Isaie 6. non viderint ipsam sinceram substantiam DEI, sed quæ videbant, condescensus erant, & indulgentia: intelligi potest, quòd eam non comprehensivè viderint, seu non totaliter, & omnino sincerissimè, seu adequatè manifestatam; sed in tantum, in quantum DEUS iis voluit indulgere, vel, ut solemus loqui, condescendere: vel quòd non naturaliter, sed tantum ex superno favore, seu indulgentia, & condescensu viderint.

176. Ob. 2. Intellectus creatus non potest clarè cognoscere infinitas creaturas possibiles: ergo multo minùs potest clarè cognoscere, vel videre DEUM. prob. conf. DEUS est objectum longè majus, quàm sint infinita possibilia: ergo. Confir. Angelus non potest videri oculo corporeo: ergo neque DEUS intellectu creato. prob. conf. Major est distantia DEI ab intellectu creato, quàm Angeli ab oculo corporeo: ergo. Resp. neg. conseq. ad prob. iterum. neg. conseq. Ad cognoscenda clarè (adeoque etiam distinctè) infinita possibilia requiritur modus cognoscendi infinitus, seu discretio clara unius ab altero in infinitum: qui modus superat intellectum creatum finitum: at verò ad videndum DEUM talis modus cognoscendi non requiritur; quia non debet comprehendi, nec debent in eo prædicata infinita discerni. Quidam hæc afferunt Aristotelem, dicentes, eum negasse, posse à nostra cognitione attingi DEUM: quod si verum esset, deferendus esset: at negavit tantum, posse DEUM vel infinitum attingi per cognitionem infinitam. Ad confirm. conc. ant. nego conf. ad prob. iterum neg. conf. Ratio, cur Angelus non possit oculo corporeo videri, non est, quòd sit perfectior, sed quòd oculus sit improporcionatus. Sic etiam aer, vel sonus, licet non sit perfectior oculo, non potest videri. Sed de hoc inferiùs plura.

177. Ob. 3. Quòd perfectius est objectum, eò perfectior est cognitio: ergo si illud est infinitè perfectum, etiam cognitio erit infinitè perfectior: sed talis non competit creaturæ: ergo hæc non potest DEUM videre. Resp. Hæc ratione DEUS neque abstractivè, neque obscurissimè poterit cognosci, quod nemo somniat. In forma dist. ant. eò perfectior est cognitio arithmetice. neg. ant. perfectior geometricè, vel potius incommensurabiliter. conc. ant. & neg. conf. Non crescit perfectio cognitionis tantum, quantum est perfectius objectum: imò neque in certa proportionem, adeoque nec strictè geometricè, sed, ut Mathematici dicunt, incommensurabiliter, hoc est, crescit aliqua ratione, quæ tamen non habeat certam mensuram, qua etiam mensurari possit objectum, ita ut determinata propor-

tio

tio possit inter ea duo assignari: unde cognitio objecti etiam infiniti manere potest finita, & talis manet in creaturis. Licet autem ratione qualiscunque respectus ad objectum infinite perfectum excedat infinitas cognitiones de objectis in perfectione finitis, non est propterea infinitæ perfectionis, sed ad summum ordinis superioris, nisi fiat misera quæstio de voce. Videri possunt etiam dicta n. 175.

178. Ob. 4. Creatura non potest producere infinitum: ergo neque cognoscere. prob. conf. Major requiritur perfectio ad cognoscendum, quàm ad producendum; nam sol. e. g. potest producere aurum, vel ignem, non tamen potest cognoscere. Resp. Ergo homo non poterit cognoscere muscam, quam non potest producere. In forma nego conseq. ad prob. neg. ill. universaliter acceptum; nam quoad multa quidem verum est, plus esse ea cognoscere, quàm tantum producere; quia ad cognitionem requiritur potentia vitalis, quæ est perfectior, quàm virtus inanimata producendi e. g. ignem: attamen potentia producendi Angelum, vel animam rationalem, vel infinitum est major, quàm tantum potentia hæc cognoscendi, ut est per se clarum.

ARTICULUS II.

An Visio DEI possit alicui creaturæ rationali esse connaturalis.

179. **D**ico. Visio intuitiva DEI nulli creaturæ potest esse connaturaliter debita. ita communissime Theologi contra pauculos, qui apud P. de Quirros ultro fatentur, retineri se pondere Scholasticorum ferè omnium, qui sua scripta prelo mandarunt, ne absolute asserant possibilitatem creaturæ, cui connaturalis sit visio DEI. Prob. concl. Ex Sacris Scripturis, Conciliis, & Patribus passim habetur visionem DEI esse supernaturalem: ergo non potest esse connaturalis, seu, quod idem est, connaturaliter exigere à natura, qualis est omnis substantia creata ut quod, adeoque omnis creatura rationalis, prob. antec. Ad Rom. 6. v. 23. dicitur: *Stipendia enim peccati mors: gratia autem DEI vita æterna.* Si vita æterna est gratia, non est debita naturæ, adeoque supernaturalis. Rursus ad Rom. 11. v. 6. *Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia:* ergo visio DEI, quæ est gratia, non potest esse debita operibus naturalibus creaturæ: adeoque est supernaturalis. Imò de supernaturalitate visionis DEI adeo nullum Theologis communiter dubium est, ut ab ordine ad eam desumant supernaturalitatem aliorum entium. Confirm. 1. ex S. Augustino, qui l. 12. de civ. DEI c. 1. docet, creaturam intellectualem posse fieri beatam visione DEI, non quia creatura est (multæ enim non sunt hujus beatitudinis capaces) sed quia rationalis est: addit tamen: *Ea tamen, quæ potest, non ex se ipsa potest, quia ex nihilo creata est, sed ex illo, à quo creata est:* atqui omnis creatura possibilis ex nihilo creata est: ergo nulla suis viribus id potest, & nulli debetur.

180. Confirm. 2. Visio DEI supponit amicitiam, vel filiationem Divinam; quia est hæreditas Sanctorum: atqui omnis creatura est essentia-

liter serva DEI, & nulla serva potest exigere quasi sibi debitam filiationem, & hæreditatem Domini: ergo nulla creatura potest exigere visionem DEI. Hic est discursus S. Cyrilli Alexandrini in Evangelium S. Joannis l. 1. c. 13. ubi explicans illud Joan. 1. c. 12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios DEI fieri:* & agens de adoptione nostra, seu ut ait, *Ut similitudine illius per gratiam filii DEI simus,* ait, hanc supernaturalem dignitatem, scilicet filiationem, quæ est jus ad visionem DEI, nos non ex natura habere, sed ex gratia, ac tandem inquit: *Creatura autem, cum serva sit, nutu solim, & voluntate Patris ad supernaturalia vocatur.*

181. Ob. 1. Omnis creatura naturaliter appetit suam beatitudinem, seu ultimum finem: sed beatitudo, seu ultimus finis creaturæ rationalis, saltem ut quo, est visio DEI: ergo naturaliter appetit visionem DEI: ergo est ipsi debita seu connaturalis. Resp. dist. ma. appetit suam beatitudinem naturalem. conc. ma. supernaturalem, subdist. appetit eam appetitu innato. neg. ma. elicitò. conc. ma. & dist. sic mi. neg. conseq. Visio clara DEI non est beatitudo naturalis, sed supernaturalis, uti dicitur fusiùs suo loco sc. tr. de Beatitudine: unde non potest creatura rationalis eum appetere appetitu naturali innato, qui tantum fertur in bonum debitum: potest tamen in eum ferri appetitu elicitò naturali, hoc est, appetitu tali, qui possit elici viribus naturalibus; non autem tali, qui ex naturæ insita inclinatione oriatur: talis autem appetitus elicitus potest etiam ferri in bonum indebitum, imò in impossibile, saltem viribus naturalibus. vid. Gormaz de beatitud. n. 178.

182. Ob. 2. Non est supra conditionem servi, ut intueatur suum Dominum creatum: ergo, licet creatura sit serva DEI, tamen non erit ei supernaturale, videre intuitivè DEUM. Confirm. Non repugnat in DEO amor amicitiae erga creaturam in statu puræ naturæ relictam: ergo neque clara suimet ostensio, ad quam sequitur visio intuitiva. antec. prob. non repugnat amicitia inter servum & Dominum in creatis: ergo nec in Divinis. Resp. neg. conseq. Intueri Dominum creatum non est fieri ipsius filium adoptivum, & frui ejus hæreditate, sicut est intueri DEUM: adeoque est lata disparitas. Ad confirm. neg. ant. effect enim tantum aliquis amor benevolentiae, qualis etiam potest dari in homine erga brutum: amicitiae amor exigit insuper proportionem in natura, quæ non datur in creatura in statu puræ naturæ relictæ, & non elevata: elevatio autem stat in gratia sanctificante, vel aliquo æquivalente dono, vi cuius creatura rationalis fiat filia DEI adoptiva: Ad prob. neg. conseq. Inter servum & Dominum creatum ipsa natura est eadem specie, adeoque maxime proportionata.

183. Ob. 3. Lumen gloriæ, quod deberet juxta nos reddere creaturam rationalem proportionatam, vel elevatam ad visionem, etiam ipsum est creatura, adeoque etiam serva: ergo vel nec illud potest exigere visionem, vel ratio servitutis non obstat. Confirm. 1. Lumen gloriæ, vel etiam gratia, utpote aliquid creatum, & servum, adjicit tantum novam servitutem creaturæ rationali: ergo non elevat ad statum altiorum. Confirm. 2.

Lumen